

rei hypostasis cum essentia unum idemque est realiter, adeo-
que hypostasis divina, cui aliquid in tempore communicatur,
vera Deitas esse nequit, siquidem idiomata divina non habuit,
nisi in tempore communicata. Vbi simul ex hoc asserto de-
mirari non satis possumus, quare, ubi idiomata divina communica-
ta esse personae credunt, neque tamen pari ratione, imo jure
multo potiori fateantur, *hypostasin τὸν λόγον sibi idiomata humana,*
ut passionem, mortem & alia appropriasse, divina vero attributa hu-
manae suae carni communicasse, utpote quod utrumque scriptura
satis dilucide affirmat: Illud, dum de Filio Dei praedicat hu-
mana, hoc vero, dum communicationem idiomatum divino-
rum passivam non *personae*, sed *naturae potius*, a persona τὸν
λόγον assumtae, tribuit.

§. IV. Notamus hic, quod Reformati nonnulli hic in-
terdum liberaliores sint, quam quidem necesse putat Allocu-
tor ipse. Cum enim huic sufficere videatur ad fundamenta-
lem consensum stabiliendum fateri, *Christum Deum & hominem*
esse omniscium, omnipotentem, omnipresentem & adorandum, sine
ullo addito vel specificativo, vel reduplicativo, quod tamen
par erat: illi rem adhuc dilucidius tantisper proponunt, & cum
negotium in eo resideat, non saltem, an *Christus, qui Deus est*
& homo, sit omniscius, & omnipraesens, subintelligendo nempe
naturam divinam solam, vel *personam secundum solam divinam na-*
turam, cum exclusione finali alterius naturae, quod illi affir-
mant, nos negamus: sed etiam: *an humanae naturae communi-*
cata sint illa dona, ita ut suo modo secundum utramque naturam
fit *omniscius, omnipotens, omnipraesens, adorandus?* & nos hoc
omnino affirmamus, illi alioqui negant; Non modo prius no-
biscum videntur nonnulli negare, verum alterum etiam con-
ceptis verbis affirmant. Sufficiat, speciminis loco, adducere
JOSEPHVM HALLVM, qui in *Judicio de Colloquio Lipsiensi di-*
ferte profitetur, esse Dominum Jesum in utraque sua natura omni-
scium,